DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO VIRGINIQVE DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIII. DECEMBRIS.

M. CLAVDIO CHRISTIANO, Doctore Medico, Præſide.

885

Eſt ne in homine ſano à ſolo ſanguine nutritio?

HOMO in interitum æquo pede præceps deuolueretur, ni aſsiduum & indefeſſum, quod patitur triplicis ſubſtantiæ effluuium ſiccioris cibo, humidioris potione, aereæ igneæque reſpiratu & arteriarum pulſu reſtitueretur, vt repletione quadam quod abiit vacuatumque eſt in corpore, multis præuiis alterationibus tandem reponatur. Hunc defluxum efficit calor natiuus, cuius permanſione in humido pingui & aereo, nulla arte reparabili, vita, vt eiuſdem extinctione mors intelligitur. Humidum pabulum eſt atque caloris fomentum. Hoc tanquam inſtrumento, ad actiones naturales edendas, anima ſuis facultatibus probè inſtructa vtitur: quod continuò defluit, familiari ſubſtantiâ dulci & amabili, proprietate quadam illi reſpondente, indeſinenter reſtaurat: multo ac vegeto calori, multum concedit alimentum, imbecilliori parciùs: attrahit, retinet, coquit aſsimilat: illa laudabilium vitæ actionum author ſanitatem efficit; cuius tanta eſt latitudo, vt ad ægros etiam vſque extendi poſsit. Verum qui omnes illas actiones, vitales deinde & animales, inculpatas habebit, eum ſanitas perfecta beat.

E perenni ſubſtantiæ noſtræ effluxu, deſumitur alimenti neceſsitas, quod in elementis aut rebus inanimatis quærere abſurdum. Præparatur in ore, recipitur in ventriculo, vbi dum coquitur, conficitur chylus: hinc ad hepar transfertur, quod facultate quâ pollet ſanguificâ, ex chylo, qui à iecore ſano aliter, diuerſimodè ab ægro perficitur, vnà cum aliis humoribus excrementitiis, ſanguinem meliorem naturæ theſaurum innato calore & parenchymate proprio conficit. Humor eſt liquidus, fervens, ruber, dulcis, ſpiritu & calore vndique perfuſus, cum quibus ſimul mouetur: ſi naturæ leges non excedat, ſemper dulciſsimus: ex illo ſolo, familiare, ſimile, proprium, vniuerſæ ac ſingulæ corporis partes, tanquam è penu, ſuum trahunt alimentum, vt quod in vacuati locum per nutritionem ſuccedit, illi tandem perbellè poſsit reſpondere.

VT omnes corporis facultates ab animâ, ſic ab eiſdem inter ſe diſtinctis ſedibus, functiones procedunt ac dimanant: harum quædam principem locum obtinuêre, quædam illis ſubſeruiunt. Nutritio, auctio & procreatio, vniuerſa naturæ opera complectuntur. Illa quæ neceſſitate reliquas longè latèque ſuperat, attractionem, retentionem, coctionem & expulſionem, ad ſui ſubſidium fortita eſt: quarum aliæ organis publico munere fungentibus inſident, aliæ ipſis tantum partibus ſtudent atque famulantur. Aſſimilatione nutrientis ad id quod alitur perfecta fit nutritio, ſicque ſubſtantiæ defluentis iacturam, alimenti repoſitione complet & inſtaurat, toto vitæ decurſu numquam otioſa: illius famularum ope, pars vnaquæque corporis perfectè ſani, ſanguinis portionem, ab omni excremento tandem repurgatam attrahit, quam per aliquod temporis ſpatium attractam retinet, mox immutat, coquit eamdemque aſſimilat: cuius inutiles reliquias à ſe amandat & expellit. Attractio rectis fibris, expulſio tranſuerſis, retentio obliquis, coctio nullis, ſed innato partibus calore perficitur.

TRIPLICEM coctionem conſequitur excrementum, illius beneficio ab alimento ſeparatum. Chylus non alteratrice virtute modò, ſed etiam ipſa forma ſubſtantiali, à ventriculo elaboratus, per inferius orificium, facultatis expellentis robore, in tenuia inteſtina deponitur: hinc per venarum meſaraicarum oſcula & foramina eò deſinentia, tenuiorem & ſucculentam portionem, iecur exſugit & quaſi manu prolectat, quod craſſum & impurum remanet, in craſſa delabitur inteſtina, ibique efficiuntur fæces, quæ per aluum, vi inteſtinorum periſtaltica, forás detruduntur, attractus iam chylus, & rubri coloris aliquo donatus rudimento, nouam coctionem ſubit, in quâ inſito hepatis calore, partes mediocres in ſanguinem degenerant, calidiores & tenuiores veluti aduruntur, & in bilem flavam abeunt: humidiores, frigidiores & craſſiores imperfectè tranſmutatæ relinquuntur, atque ita à ſanguine propriè dicto omni ex parte dulci, excrementa ex ſecunda ſecernuntur coctione. A tertiâ triplex excrementum, tenue, craſſum, fuliginoſum.

VT ex ſanguine puro factum generatumque fuit in vtero hominis corpus, ita ex eodem nutriri par eſt. Gaudeant bene nati, quandiu perfectâ & integrâ ſanitate fruentur, illo dulci & viuifico nectare, partium corporis fluentem ſubſtantiam reſtaurabunt, non bile amarulentâ, aut ſucci melancholici aciditate, aut alio quouis humore excrementitio ad alendum inepto, ſed ſolo ſanguine, qui intercedentibus variis mutationibus numero tamen diſtinctis, omnes ac ſingulas corporis humani particulas nutriet. Solus ſuo comitatus vehiculo, per vaſa in totum corpus diſtribuitur & ad partes omnes alendas accedit. Solus dulcis concreſcit, & perfecti ſeminis fit materia, in quam tranſit ac mutatur, quod bili ac ſucco melancholico eſt denegatum. Solus alimentum, excrementum eſſe nequit; ille retineri, hoc excerni debet.

Eſt ergo in homine ſano à ſolo ſanguine nutritio.

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS CRESPON Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. XL.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. IACOBVS RENAVLT.	M. GILBERTVS PVYLLON.	M. CLAVDIVS LIENARD.
M. NICOLAVS LANGLOIS.	M. VICTOR PALV.	M. RENATVS MOREAV. P. R.
M. CLAVDIVS CHRISTIANVS. Præſes.	M. GEORGIVS IOVDOVYN.	M. DIONYSIVS ALLAIN.